

CAPVT XXII.

De Legum ac Pactorum interpretatione.

DXCII. Aliquid interpretari, est verum eius scopum declarare. Scopus vel ad operationem quamdam pertinet, vel ad cogitationum signa. Itaque interpretatio vel rerum est, vel verborum.

DXCIII. Equidem ars interpretandi in Logica et Critica propriam sedem habet; quum vero magnus etiam eius vsus sit in iurisprudentia, hinc est, vt generales interpretationis regulae in illis disciplinis traditae, in hac nostra magis determinari, et variis speciebus applicari soleant.

DXCIV. Neque enim audiendi sunt, qui in iure naturae interpretationi locum esse negant, quod leges naturales sint euidenter, mentibus nostris insitae, non voce, vel scriptura prolatae; praeterquam veniant eae a Legislatore sapientissimo, qui obscure locutus non sit, et ideo superflua illarum interpretatio esse videatur.

DXCV. Et si enim leges naturae primariae euidentes sunt, tamen multae, quae sunt remotiores, sine ratiocinio et interpretatione euolui nequeunt. Verbis quidem illae promulgatae non sunt; aut inde non sequitur, vt inutilis sit interpretatio rerum, seu scopi essentialis, ad quem nos ducunt conuati nobis stimuli. Porro pacta voce aliisque signis proferuntur, quorum vis etiam declaratione indiget. Denique obscuritas si non est ex parte Legislatoris, est tamen ex parte nostri intellectus, quae dilucidanda.

DXCVI. Si verba fixam semper haberent potestatem, et loquentes nunquam non satis mentem suam exprimerent, opus haud foret verborum interpretatione; aut contrarium obtinet, et ideo interpretatio necessaria est.

DXCVII. Qua in re prima illa tenenda est regula: interpretatio neque ex mente loquentis, neque

ex mente audientis tantum fieri potest, ne quemcunque sensum sibi adstringendo, vel promittens promissionem eludat, vel acceptans plus juris praetendat, quam alter transferre voluit. Sed quilibet eam tenetur admittere vocum significationem, quam recta interpretatio suggerit. v. *Cic. Off. I. 13*

DXCVIII. Quisque autem praesumitur verba in sensu famoso et populari accepisse, ad id enim obligatur; igitur in iis interpretandis non licet recedere a communi loquendi usu eius temporis, quo adhibita sunt, nisi adsint rationes virgutes in contrarium, seu coniectura, quae ducat alio. v. *L. 7. D. de sup. Leg.*

DXCIX. Ex hisce patent haec conclusiones: a) antiquis legibus et pactis non ea tribuenda significatio est, quam hodie verba habent, sed quam habebant olim; b) nec quae recentius prolata sunt, ex primitiva significatione, seu etymologia explicari queunt. Secus voces *tyrannus, fur, hostis, sophista, regem, seruum, peregrinum, sapientem* hodie, vti olim, designarent, contra mentem loquentis et communem usum.

DC. Eadem de causa termini artium technici accipi debent in significato apud artis peritos recepto, hic enim popularis est et famosus; si modo artis peritus sit, qui illis utitur, cuius rei exemplo voces, *Exercitus, Marestas, Canadia* esse possunt. Semper vero erronea esset interpretatio, quae cum restrictione mentali fieri vellet.

DCI. Saepe tamen multiplex est sensus famosus, siue vnus vocabuli, v. g. *Gallus, lus*, siue in egrae constructionis, v. g. *Lego Caio mille*, quum duo sint *Can*, et *mille* vel *aurei*, vel *floreni*, vel *librae* subaudiri possit. Tunc autem spectanda est coniectura personae loquentis, loci, temporis, modi, causae, et finis, iuxta versiculum: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

D II Speciatim vero I. *Substrata materia* II. *Effectus*, et III. *Coniuncta*, considerari debent. Est

vero substrata materia obiectum, de quo sermo fit; ad illud igitur verba sunt attemperanda, quoniam praesumuntur obiecto consentanea esse, quaecumque de illo dicuntur; nec de re cogitanti alia succurrisse videntur vocabula. quam quae rei denotandae destinata sunt, et quae cum ea naturalem connexionem habent. *v. L. 90 de V. Obl. L. 7. de R. I.*

DCIII. Porro verba accipienda, ut aliquem habeant effectum, et ne temerarium quid, aut absurdum, hoc est, physice vel moraliter impossibile sequatur, quia nemini in dubio tribuere licet, quod a ratione alienum est. *v. L. 19. D. L. L.*

DCIV. Nec minus verborum potestatem declarent *coniuncta* vel *origine*, et *loco*, id est, quae sunt ab eodem auctore, et in eodem libro, vel *origine* tantum, siue *loca parallela*. Quum enim nemo censeatur sibi met ipsi repugnare, et tamdiu quisque idem velle praesumendus sit, quamdiu non constet voluntatem immutasse, sequitur, ut interpretatio ita semper fieri debeat, ut verba obscura per alia clara exponantur, et ut antecedentia et consequentia inter se cohaereant. *v. L. 24. D. de L. L.*

DCV. Ad coniuncta loci potissimum pertinet ratio et finis propositionis, siue lex ea sit, siue pactum. Est autem ratio *causa, respectus, ac finis, qui ad propositionem illam proponendam auctorem mouit*. Vbi illa obtinet regula; *Eam sequi oportet interpretationem, quae rationi non repugnat*.

DCVI. Posita enim ratione, et id ponitur, propter quod aliquid potius est, quam non est, sed per rationem voluntas determinatur, itaque cognita ratione etiam voluntas patescit, et contra cessante ratione unica et finali voluntatis, hanc quoque cessare necesse est.

DCVII. Ceterum legis naturalis ratio ex hominis natura ac fine, ratio vero legis positivae ex historiis
po-

potissimum discenda est. His luminibus igitur, quæ carent, eos caecos esse interpretes oportet.

DCVIII. Tenemus modo triplicem interpretationis speciem; vel enim loquimur, quæ sentimus, et tunc verba per interpretationem *declaratiuam* in sensu vulgari accipi debent.

DCIX. Vel minus loquimur, quam sentimus, ut ratio latius pateat, quam verba, et tunc abhibetur interpretatio *extensiuæ*. Vnde, qui ob inopiam vetat exportari frumentum, farinam quoque subaudire intelligitur.

DCX. Vel plus loquimur, quam sentimus, ut verba latius pateant, quam ratio, et eo casu fit interpretatio *restrictiuæ*. Hinc lex: Nemo in via sanguinem fundat sub poena capitis, non comprehendit chyrurgum, qui aegrotantis venam secat.

DCXI. In fraudem legis vel pacti agere is dicitur, qui soluis verbis legis vel pactiōnis sententiam circumuenit; igitur illam semper eligere debemus interpretationem vel extensiuam, vel restrictiuam, per quam nulla fiat legi fraus. *vid. L. 29. D. de L. L.*

DCXII. Solet et illa dari regula: *Odia esse restringenda, fauores ampliandos*; sed quum odiosum et fauorabile esse possit sub diuerso respectu, ideo inutilis est hæc regula, præsertim quod sæpe poenas extendere, præmia autem restringere oportet ex legis ratione, vel ceteris coniecturis. Itaque æquitas semper prae oculis habeatur, et id, quod diceret, qui est locutus, si præfens esset, vel cognita ei fuissent, quæ nunc palam sunt. *v. L. 10. II. 24. D. de reb. dub. L. 17. D. de sup. leg.*